



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 46. Monasteria in Galliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI. ex Genere Regum Francorum Sanctis
A. C. 535. accensetur.

§. XLVI.

Monasteria in Galliis.

Greg. vit.
PP. c. 5.

Jam illa ætate in Galliis florebant plurima Monasteria, & Sancti Anachoretæ, ex quibus, ne longus sim, tantum celeberrimos memorabo. Civitas S. Porciani in finibus Arvernæ & Agri Borbonensis posita originem suam debet cuidam Monasterio, ad quod Porcianus barbari Domini mancipium sæpe confugiebat, ut se furentis Heri crudelitati eriperet. Tandem in eodem susceptus & ob vitæ merita Abbas electus est. Cum Viri Virtutes & Miracula eidem apud Regem Francorum Theodoricum in Arvernia anno 525. bellum gerentem Venerationem peperissent, Rex ipsius precibus multis captivis libertatem reddidit. Ecclesia S. Porciani Memoriam honorat 24. Nov. sed ipsius Abbatia annis abhinc octingentis in Prioratum Benedictinorum, Abbatia Turnensi subjectum, redacta est. Monasterium quoque Combrundense in Arvernia in Prioratum Abbatia Menatensis in eadem Provincia mutatum.

Mart. Rom.
 24. Nov.

Hæc Abbatia jam Clodoveo regnante fundata Magnorum Sanctorum, atque inter alios SS. Calasii & Aviti Seminarium

rium fuerat. Cum deinde Disciplina languor irrepsisset, eam S. Brachus seu Brachion reformavit. Is in Sæculo Sigivaldo Arvernix Comiti famulabatur, qui dum apros in venatione insectabatur, ipse utebatur opera. Cum aliquando aprum persequitur, ille refugium quaesivit prope cellulam cujusdam Sancti Eremicolæ, in illa Sylva degentis, cui nomen Æmilianus. Vir hic sanctus Brachioni persuasit, ut se totum Deo dedere statueret; qui mortuo postea Domino suo, ad ipsum se contulit. Æmiliano fatis functo successit Brachion in ejus Cella, quæ interim in Monasterium excreverat. Id Brachion Ranichildis Sigivaldi filix munificentia adjutus iterum auxit, & deinde in Regionem Turonensem profectus, duo ibi fundavit Monasteria, quibus Abbates præfecit. In Arverniam reversus Abbas Menatensis esse jubetur, ut Disciplina vigorem reduceret, ibique anno 576. diem clausit.

Abbatiam Cellensem in Agro Bituricensi S. Eustius opibus Childeberti Regis suffultus fundavit. Is quondam a Parentibus Abbati Patriciensi venumdatus, ab ipso Monachi habitum accepit, & postea Presbyter ordinatus est. Deinde in solitudinem prope Carum fluvium secessit. Rex Childebertus anno 531. illuc transiens in Hispaniam moturus

Sæculum VI.

A. C. 535.

Greg. vit.

PP. c. 12.

Brachion

Abbas.

Vit. ap.

Lab. Bibl.

nov. to. 2.

p. 371.

vit. Coint.

an. 531.

Sæculum VI. Sancto Viro quinquaginta Solidos obtulit, qui respondit: *imo satius erit, si hoc*

aurum aliis dederis, qui illud pauperibus

elargiri possint. Mibi sufficit, veniam a

Deo pro peccatis meis deprecari. Ceterum

Regi Victoriam vaticinatus est, &

prosperum profectionis eventum. Rex,

pecuniis inter pauperes sparsis, votum

edidit, in hoc loco se extructurum Ec-

clesiam, in qua S. Senis corpus quiesceret,

& quod vovit, implevit. Abbatiam Cel-

lensem hodie Fulienses obtinent.

Boll. 28.

Jan. Act.

SS. Ben. to.

i. pag. 693.

Greg. Conf.

c. 87. Coint.

an. 539. n. 18.

Greg. Conf.

c. 42.

In Burgundia jam tunc celebrabatur

Abbatia Reomaensis fundata a S. Joanne

Presbytero, a quo deinde Nomen acce-

pit. Natus is erat in eadem Regione &

Territorio Lingonensi Patre Hilario Sena-

to, cujus virtutes Gregorius Turonen-

sis laudat. Necdum vicenario major re-

lictâ Cognatione sua in Cellulam mani-

bis suis constructam se recepit. Tunc

longius recessit, & habitavit in Solitudi-

ne Tornedorensi, ubi primum Discipulos

duos, & deinde plures habuit, fundavit-

que Monasterium, quod ut melius infor-

maret, celeberrima Galliæ Monasteria in-

visit, & laudabiles consuetudines annota-

vit. Rursus abdicato Regimine, & reli-

cto Monasterio, cum duobus Discipulis

in Monasterium Lerinense se abdidit, an-

nosque ferme octodecim ibi latuit; post-

ea autem cognitus, & a S. Gregorio Epis-

copo

copo Lingonensi revocatus est. Tum Sæculum VI.
 Congregationem suam ipso absente in A. C. 535.
 teporem lapsam reformavit, & S. Ma- Abbatia
 carii Ægyptii Regulam induxit. Præpri- fundata.
 mis a labore manuum non cessandum esse
 inculcabat, quo humilitas & animi pu-
 ritas conservarentur. Sæculares in Ora-
 torium Monasterii non admittebat, non
 nunquam tamen Verbum Dei populo
 prædicabat. Vitam protraxit usque ad
 annum centesimum vigesimum octavum,
 & circa annum 540. obiit. Abbatia ipsius Mart. Rom.
 sub nomine Monasterii S. Joannis nota est. 28. Jan.
 Ecclesia ejus Festum 28. Jan. celebrat.

Joannis Discipulus fuit S. Sequanus,
 cujus virtutes tam cito enituere, ut an- Greg. Conf.
 no decimo quinto Diaconus, & vigesimo c. 88. Act.
 Presbyter ordinaretur. Postquam vitæ SS. Ben. to.
 Monasticæ Regulas apud S. Joannem Reo- I. p. 263.
 maensem satis didicisset, in Solitudinem
 ejusdem Diocæsis Lingonensis prope fon-
 tes Sequanæ recessit, ubi Auctor extitit
 Monasterii Segustrensis, quod posteriore
 tempore a Fundatore suo Nomen accepit.
 Multis editis Miraculis Senex obiit Martyr. R.
 circa annum 580. Ecclesia eum decima 19. Sept.
 nona Sept. honorat.

In illa Galliarum Parte, quæ tunc
 Neustria dicebatur, duo celebres Mona-
 steriorum Fundatores S. Marculus, &
 Ebrulfus florebant, ambo in Territorio
 Bajocensi nati. S. Marculus Sancto Pos- Bol. I. Maji.
 sessori to. 12. p. 70.

Sæculum VI. Sessori Episcopo Constantino S. Lautonis
A.C. 535. Antecessori instituendum se tradidit, qui

Act. Ben. to. Clericis adscriptum, & Presbyterum ordi-
I. p. 128. natum misit, ut in sua Diœcesi Evangelium
prædicaret. Marculus Fundum Nanto-

liensem in Ditione Constantinensi situm
a Rege Childeberto obtinuit, & in eo Mo-
nasterium condidit. Pluribus aliis Mo-
nasteriis fundatis circa annum 558. e vi-
vis abiit. S. Ebrulfus juvenis inter Au-
licos Regi serviebat, ob oris facundiam

Act. Ben. p. magni æstimatus. Uxorem habebat, sed
354. *Sue. 29.* elapso non multo tempore divisi sunt.
Dec. Illa prior Monasterium Virginum ingres-
sa est, & ipse Bonis suis in egenos disper-

sis in quoddam Monasterium se recepit;
cumque ibi ipso Judice fratres plus justo
ejusdem virtutes venerarentur, ut hono-
rem fugeret, cum tribus Monachis in Syl-
vam, quæ tunc Uticum, hodie *Ouche*, di-
citur in Diœcesi Lexoviensi, abscessit. In
illa solitudine aliquot latronibus ad fru-
gem reductis, cum ipsius fama magnum
Discipulorum numerum attraheret, fun-
davit Abbatiam, quæ diu a Sylva, quam
incoluerat, dicta, hodie S. Ebrulfi No-
men gerit. S. Ebrulfus quædam patra-
vit Miracula, atque etiam duos mortuos
excitasse fertur. Obit anno 596. & ab

Mart. Rom. Ecclesia 29. Dec. colitur. Hic Sanctus
29. *Dec.* Ebrulfus cum alio æque S. Ebrulfo Abba-

Act. Ben. p. te, qui eodem ferme tempore prope Bel-
366. lovacum

lovacum degebat, non est confundendus. Sæculum VI.
A. C. 535.

§. XLVII.

Joannis II. obitus. Agapitus Papa.

Joanni Mercurio Papæ 26. April. anno 535. postquam sedisset annis tribus & quatuor Mensibus, ad Cælum translato, successit Agapitus Archidiaconus Gordiani Presbyteri Filius, qui quarta Maji ordinatus ferme anno uno Sedem obtinuit. Sub Pontificatus sui Auspicia in medio Ecclesiæ Anathematizationis Libellis, quos Bonifacius Papa ab Episcopis & Presbyteris contra Dioscorum æmulum suum extorserat, publice comburi jussis, Ecclesiam ab invidiosa rei memoria liberavit. Contumeliosus Episcopus Rejenfis, quamvis causa ipsius ex Mandato Joannis Papæ ab Episcopis Galliæ fuisset judicata, nihilominus ab eorum Sententiâ ad Sanctam Sedem sibi appellandum esse existimavit. Hinc Agapitus Papa ad S. Cæsarium Arelatensem scripsit in hunc modum: *Judices delegabimus, ut ea, quæ in Causa Contumeliosi egistis, examinent. Quamvis vero ei licentiam ad Ecclesiam suam redeundi dederitis, tamen suspensus sit, donec feratur Sententia. Solum Bona ipsius propria ei redantur, & unde congrue sustentetur. Interim de Bonis Ecclesiæ nihil valeat decernere,*

*Sup. §. 25.
Lib. Pont.*

Sup. §. 40.

Ep. 7.